



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt X. Sex priora Decreta in Sessione vigesimaquarta confirmata. Quatuor ibi mutationes ab ijs quae forma proposita continebat; tum de subiectione, quâ Episcopi Archiepiscopis subduntur; tum de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

dulgere, quò poma altiori arboris ramo adhærent, eò minùs de- 1563.
 cerpuntur.

Narrat denique, improbatum à Gallis fuisse Decretum in rap-
 tores, quippe quòd occupatio quædam esset laicæ potestatis: nec
 minùs etiam Decretum in concubenarios & adulteros; quando-
 quidem non licet Ecclesiæ ultra anathemata pœnas irrogare. At-
 qui si Galli ita fenserunt, quare ferè omnes simul his Decretis assen-
 serunt?

Quòd si non licet Ecclesiæ in delicta, quæ offensionem ac detri-
 mentum inferunt publico animarum bono; pœnas ultra Sacro-
 rum ademptionem constituere; cur Ecclesiastici Inquisitores tot in
 regnis, laicæ iurisdictionis studiosissimis, fontes puniunt & vinculis,
 & exilijs, & infamiâ, & trinemibus, & proscriptionibus, nec in eo
 impediuntur? Inter homines probatio nulla magis legitima sup-
 petit probatione factorum, quæ idioma quoddam est, ab omni su-
 spicione ac mendacio immune.

C A P V T X

*Sex priora Decreta in Sessione vigesimaquarta confirmata. Qua-
 tuor ibi mutationes ab ijs quæ forma proposita continebat; tum
 de subiectione, quâ Episcopi Archiepiscopis subduntur; tum
 de itione ad Metropolitanarum Ecclesias, præterquam ad Syno-
 dos celebrandas; tum de visitatione, quâ inuisuntur ab illis
 præterquam ex causis à Provinciali Synodo comprobatis; tum
 de minoribus ipsorum causis cognoscendis, & de concedenda
 Episcopis facultate absoluendi delicta heresis in foro con-
 scientiæ, etiam ubi S. Inquisitionis Tribunal est. Multa Sua-
 vis errata in facto expenduntur; & quæ idem obijcit ob mo-
 nita Concilij in Pontificem, & ob causas maiores Episcopo-
 rum, ipsi reseruatæ.*

Absolutis peculiaribus Decretis Matrimonij, ventum est ad
 sanctiones generalis emendationis: quibus quiddam aliud
 præter morem in ea Sessione contigit, quòd videlicet ex
 Patrum sententia multa fuerint mutata in ijs quæ à cœtibus stabili-
 ta fuerant, & ab Episcopo celebrante clarâ voce proposita. Ingens
 excitus est rumor, sicut indicauimus, tum vesperi præcedenti, tum
 postea 1563,

a Acta Pa-
 leotti, & Ar-
 cis Romanæ,
 & litteræ
 Legatorum
 ad Borrom.
 21. Nouemb.

Pars III.

Eeeee

1563. postea eodem ipso mane; siquidem Episcopi, ubi intellexerunt, ipsorum postulato suffragia quantum satis erat non fuisse, perinde ac in cœtu creditum fuerat, omnem adhibuerunt industriam (ardore minus fortasse temperato quam ratio decori postulasset) ad obtinendum in Sessione id quod optabant. Et sanè colligo ex verbis sententiarum, quas ibi pronuntiarunt ij, qui post habitum conuentum seu verbo seu scripto declararant sensum propitium ipsorum parti, eius numerum augentes, à Legatis & Patrum delectu fuisse aliquid variatum in Decretis Conuentui lectis, & ab ipso comprobatis, adiecto generatim mandato, ut quædam ex plurimum voto componerentur. Verùm mutationes illæ, sicut vsuuenit in consilijs medijs, non exultæ prius tractatione, neque concordia maturata, saporis parum grati fuerunt. Quocirca magnum exitit in Sessione certamen. Et quoniam primum suffragium, Episcopis propitium, illic prodijt ab Archiepiscopo Iadrensi, eidem bona pars Episcoporum per simplices voces adhæsit. Vnde postea contigit, ut Legati, cum ad vesperam Sessionis de eius exitu Roman scriberent^b, facti fuerint, & crediderint, sufficientem asseclarum numerum à Iadrensi fuisse pertractum in cunctis articulis controuersia, hoc est, non modò quatenus postulauit ut Episcopi suffraganei soluerentur obligatione adeundi Metropolitanarum sedes, excepta Synodi conuocatione, quod euietum est; sed quatenus intendebat, Episcopos insulanos & transalpinos non adstringi ad Synodos Prouinciales adeundas per se ipsos, quandoquidem in hoc non nisi viginti quinque illi fauerunt.

^b Litteræ Legatorum ad Borrom. 11 Nouembris. 1563.

^c Acta Paleotti 12. Nouembris. 1563.

^d Acta Paleotti.

At verò centum viginti duo cum eo consenserunt^c de appendice² ab ipso quaesita in capite tertio; videlicet, ne Ecclesiæ, in quibus resident suffraganei, nec ipsorum dioceses, à Metropolitanis visiterentur, nisi cognita causâ, & à Synodo Prouinciali comprobata: in quo dignum fuit animaduersione, quòd Iadrensis, cum^d in dicenda sententia solos Metropolitanas nominaret, oblitus omnes superiores Primates exprimere, nihil sibi ipsi profuit. Cum enim reliqui dixissent, sibi illius sententiam probari, confectum est Decretum de solis Archiepiscopis, non item de Patriarchis.

In quinto capite nouemdecim vnâ cum eo voluere, ut causæ; criminosa minores Episcoporum solùm cognoscerentur ac iudicarentur in Synodo prouinciali, aut per iudices ab illa destinatos.

In sexto, ubi nunc conceditur Episcopis facultas absoluendi subiectos ipsis à quavis occulta noxa, etiam hæreseos, in foro interiori; id prius secundum formam propositam coarctabatur duobus modis

dis: alter erat, ut id agere ipsis liceret tantummodò in propria diocesi; & hanc limitationem pariter crediderunt, scripseruntque eo vesperi Legati fuisse sublatam secundùm eiusdem Iadrensis sententiam, quod manè postmodum, collatis inter se suffragijs, haud verum compertum est: altera restrictio, quæ Oratoribus Hispano & Lusitano petentibus apposita fuerat, dicebat, *Exceptis ijs regnis, ubi sunt Inquisitiones*: & hæc Iadrensis, cum decem & octo suffragijs supra centum, effecit ut tolleretur. In quo Suavis multum fallitur, narrans, hanc exceptionem haberi in quinto capite, ubi agitur, à quonam causæ criminosa Episcoporum sint cognoscendæ. Et similiter in alijs mutationibus, quamuis aded publicæ ac celebres essent, ignorantiam prodit: non refert in numero Decretorum, quæ à Patribus obiectæ sunt: errat etiam in numero Decretorum, quæ typis vulgata fuerunt, cum tantummodò nouemdecim super morum emendationem connumeret, & vigesimum, ad declarandam particulam, *proponentibus Legatis*; & tamen qui legere didicit, comperit, priora esse viginti. Neque hic error calami transcurfui potest tribui, *nouemdecim* loco *viginti* scribentis: cum enim singulatim ea Decreta recenset in summa, prætermittit decimumnonum, quod fortassis vnum est ex præcipuis, & ex præualidis ad ostendendam Pontificis mentem pronam ad vtilitatem disciplinæ, & ad reparationem auctoritatis Episcoporum, etiam cum palmari detrimento Aulæ Romanæ, sicuti palàm fiet. Sed is qui volens in plurimis falsum enuntiat, nihil laborat ne in reliquis ex allucinatione illud proferat.

Nos afferemus ea Decreta, non secundùm formam propositam, sed secundùm constitutam in Sessione; & simul expendemus quæ obiectat aduersarius, quò viuidior sit memoria rerum quæ oppugnantur.

I. Si in quibuscumque Ecclesia gradibus prouidenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multò magis elaborandum est, ut in electione eius qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familie domini status & ordo mutabit, si, quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde, etsi alias sancta Synodus de promouendis ad cathedrales & superiores Ecclesias nonnulla vtiliter decreuit; hoc tamen munus huiusmodi esse censet, ut, si pro rei magnitudine expendatur, numquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut, cum primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes ac preces publicè priuatimque habeantur, atque à Capitulo per ciuitatem & diocesim indicantur; quibus Clerus populusque bonum à Deo pastorem valeat im-

1563. petrare. Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut aliquin operam suam præstant, nihil in ijs pro præsentis temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant; eosq; alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitæ, atate, doctrinæ, atque alijs omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ iuxta sacros Canones, & Tridentinæ huius Synodi Decreta requiruntur. Quoniam verò in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui, idoneoq; honorum & doctorum virorum testimonio, non vniformis ratio vbiq; ex nationum, populorum ac morum varietate potest adhiberi, mandat sancta Synodus, ut in prouinciali Synodo, per Metropolitanum habenda, præscribatur quibusque locis & prouincijs propria examinis, seu inquisitionis aut instructionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur; ita tamen, ut, cum deinde hoc examen, seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur: ut ipse summus Pontifex plenâ totius negotij, ac personarum notitiâ habitâ, pro gregis Domini commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesijs possit utilius prouidere. Omnes verò inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes, quæcumque de promouendi qualitatibus, & Ecclesiæ statu, à quibuscumque, etiam in Romana Curia, habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturum erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipsa Cardinalis relatoris, & trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirmant, se, adhibitiâ accuratâ diligentia, inuenisse promouendos qualitatibus à iure, & ab hac sancta Synodo requisitis, præditos; ac certò existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesijs præficiantur: ita ut relatione in vno Consistorio factâ, quò maturius intereâ de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium iudicium differatur, nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea verò omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vitæ, atate, doctrinæ, & ceteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda; quos Sanctissimus Romanus

Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremò eadem sancta Synodus, tot grauissimis Ecclesie incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesie Dei esse necessarium quàm ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem vniuersa Ecclesie ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat; & bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat; idq; eo magis, quod ouium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.

6 Hoc Decretum, scribit Suauis, reprehensum fuisse aut tamquam deficiens, si pertinet ad Synodum Romano Pontifici leges præscribere, cum in negotiis tanti momenti vsa fuerit formulis solum narrantibus & obliquis; aut tamquam temerarium, si Pontifici Synodus subijcitur, cum acrius, quamuis tacite, castigauerit actiones tum præsentium superiorum Pontificum. Mira sanè oppositio, & præter expectationem, ut opinor, cuiusuis intelligentis! Certum est, Synodum agere cum Romano Pontifice tamquam cum superiore, non tamquam cum subiecto; num idcirco temeraria fuit? Nullus igitur supremus Princeps admonendus est ac reprehendendus, & impudentiæ arguemus S. Bernardum, qui Romanos Pontifices scriptis suis longè liberiùs reprehendit, & tamen ille simplex Abbas erat, & non Synodus Oecumenica? Sed quid multa, si Romæ, quod alibi monuimus, ipsi Pontifices destinant ac sustentant religiosum hominem, qui singulis annis per plures vices vtatur hac, quam Suauis appellat temeritatem, in sacelli Pontificij concionibus, quæ vel typis vulgatæ passim leguntur?

II. Dicebatur in secundo. Prouincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersis componendis, alijsq; ex sacris Canonibus permisis renouentur. Quare Metropolitanus per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet saltem triennio post Octauam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more prouinciæ, non prætermittat Synodum in prouincia sua cogere: quò Episcopi omnes, & alij, qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis ijs, quibus cum imminente periculo transfretandum esset, conuenire omnino teneantur. Nec Episcopi comprouinciales prætextu cuiuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inuiti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cuius Synodo prouin-

1563.

ciali cum alijs interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obseruent, ac obseruari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia salua atque integra maneant. Synodi quoque diocesanae quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitanis quàm Episcopi, & alij scripti negligentes fuerint; pœnas, sacris Canonibus sancitas, incurrant.

III. Patriarchæ, Primates, Metropolitanæ, & Episcopi propriam diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem; ita tamen, ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam diocesim, non visitentur Cathedralis Ecclesia, neque diœceses suorum Comprovincialium, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio provinciali: Archidiaconi autem, Decani, & alij inferiores in ijs Ecclesijs, ubi hætenus visitationem exercere legitime consueuerunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam à Capitulo deputandi, ubi Capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur; sed non ideo Episcopus, vel, eo impedito, eius Visitator easdem Ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur; cui ipsi Archidiaconi, vel alij inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegijs quibuscumque. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamq; doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamq; accendere, cetera, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius feliciusq; succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paternâ charitate Christianorū, zelo omnes amplectantur; ideoq; modesto contenti equitatu famulaturū, studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere. Interimq; caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues onerosive sint; nève ipsi, aut quisquam suorum quidquam procuratoris causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis modo, nec pecuniam, nec mu-

1563
 nus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non ob-
 stante quacumque consuetudine, etiam inmemorabili: exceptis tamen vi-
 ctualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateq; pro temporis tantum ne-
 cessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum
 qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis antea solui, certa pecu-
 nia taxata, consuetum; an verò prædicta victualia subministrare: saluo
 nem iure conventionum antiquarum cum monasterijs, alijsve pijs locis, aut
 Ecclesijs non parochialibus in toto, quod illasum permaneat. In ijs verò locis
 seu provincijs, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quid-
 quam aliud à Visitoribus accipiat, sed omnia gratis fiant, ibi id obser-
 uetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis om-
 nibus casibus accipere præsumperit; is, præter dupli restitutionem, intra
 mensem faciendam, alijs etiam pænis iuxta Constitutionem Concilij gene-
 ralis Lugdunensis, quæ incipit, Exigit; nec non & alijs pænis in Synodo
 provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, multetur. Patroni verò
 in ijs quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præ-
 sumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum
 stabilium, seu fabricarum prouentibus immisceant; nisi quatenus id eis ex
 institutione ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fa-
 bricarum redditus in usus Ecclesiæ necessarios & utiles, prout sibi expedire
 magis visum fuerit, expendi curent.

IV. Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens
 sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, Ca-
 nones alias super hoc editos, sub fel. rec. Paulo III. aptius presentium tem-
 porum vsui accommodando, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si
 legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument,
 in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue, ijs impeditis, per alios ab Episco-
 po impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in
 ciuitate, aut in quacumque parte diocesis, censebunt expedire, saltem om-
 nibus Dominicis & solemnibus diebus festis; tempore autem Teiuniorum,
 Quadragesimæ & Auentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdo-
 mada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas diuinamq; legem
 annuntient; & alias, quotiescumque id opportunè fieri posse iudicauerint.
 Moneatq; Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ
 suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.
 Nullus autem secularis, siue regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum,
 contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Iidem etiam saltem Domi-
 nicis & alijs festiuis diebus pueros in singulis parochijs fidei rudimenta, &
 obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doce-
 ri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent:
 non

1563. non obstantibus privilegijs & consuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.

V. Cause criminales grauiores contra Episcopos, etiam heresis, quod absit, quæ depositione aut priuatione digne sunt; ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si eiusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quàm ut solam facti instructionem sumant, processumq; conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruatà eidem Sanctissimo sententiæ definitiua. Cetera aliàs sub felicitis rec. Iulio III. super his decreta, nec non & constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit, Qualiter & quando; quam sancta Synodus in præsentem innouat; ab omnibus obseruetur. Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum prouinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium prouinciale.

De hoc Decreto ita narrat Suauis: *Ecclésiastica Historia* periti aiebant: Quod Romam aduocarentur omnes Episcoporum cause, nouam esse politicam calliditatem, ad Aulam semper augendam; nam omnia vetusti temporis exempla, & Canones veterum Conciliorum palam faciunt, causas Episcoporum, etiam ad eos deponendos, in singulorum regionibus agitari. Sed quæ fieri potest, ut in eo vlla Romana calliditas politica locum habuerit, si ipsi Episcopi hoc Decretum concorditer voluerunt, & si parum illud iurisdictionis, quod relictum fuerat Archiepiscopis ad causas minores suffraganeorum cognoscendas, necesse fuit ut suffragiorum vi tolleretur? Nemo inficiatur, antiquitus Episcoporum causas in prouincijs cognosci, sed præterquam quod alios alia sæcula mores postulant, magnæ dementiæ est, arbitrari cuncta vetustiora præstare recentibus; siquidem vetustiora excogitabantur ac fiebant ab humano genere adhuc recente; & è contrario, recentiora pro se obtinent iudicium humani generis quod iam vetus euasit. Quicumque sine animi perturbatione rem dispicit, satis intelligit, exerceri vniuersè iudicia non posse neruose ac sincerè, nisi ubi celsitudo superioris ita statum inferioris excedat, ut in illum nec timor nec æmulatio cadere possint.

VI. Sanciebatur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, exceptà eà quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispen-*

dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica re-
 feruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos,
 aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis ab-
 soluere, impositâ penitentiâ salutari. Idem & in heresis crimine in eo-
 dem foro conscientie eis tantum, non eorum Vicarijs, sit permissum.

Vlcerum maximè putrescentium curatio, quantò inferioris ma-
 nus labor est cum in corporibus fit, tantò superioris est, cum in
 animis exercetur.

C A P V T X I.

Vndecim alia emendationis Decreta vsque ad decimum septimum.

Oppugnationes Suauis reiecta de Pensionibus, & de pluribus
 Sacerdotijs uni collatis.

VII. **V**T fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiori cum reue-
 rentia atque animi deuotione accedat; præcipit sancta Synodus
 Episcopis omnibus, vt non solum, cum hæc per seipsos erunt
 populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu
 explicant, sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenter, etiam linguâ
 vernaculâ, si opus sit, & commodè fieri poterit, seruari studeant, iuxta
 formam à sancta Synodo in Cathedesi singulis Sacramentis præscribendam;
 quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis om-
 nibus populo exponi curabunt: nec non vt inter Missarum solemnias, aut
 diuinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, eadem ver-
 naculâ linguâ singulis diebus festis vel solemnibus explanent; eademq; in
 omnium cordibus, postpositis inutilibus questionibus, inserere, atque eos in
 lege Domini erudire studeant.

VIII. Apostolus monet, publicè peccantes palam esse corripiendos.
 Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen com-
 missum fuerit, vnde alios scandalo offensos commotosq; fuisse non sit dubi-
 tandum; huic condignam pro modo culpa penitentiam publicè iniungi
 oportet; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendatio-
 nis testimonio ad rectam reuocet vitam. Episcopus tamen publica hoc pen-
 itentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis in-
 dicauerit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesijs, vbi id com-
 mode fieri poterit, Penitentarius aliquis cum vnione præbende, proximè
 vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut
 Licentiatus in Theologia vel Iure Canonico, & annorum quadraginta, seu
 alias qui aptior loci qualitate reperiat; qui dum confessiones in Ec-
 clesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.

Pars III.

FFFFF

IX. Quæ